



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei**

**Hurtado de Mendoza, Pedro**

**Antverpiae, 1634**

Sectio IV. Vtrùm hæc facultas sit scientia? an item speculatiua?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

etsi non esset immediatè reuelata posset tamen à Theologo ita probari: *Omne quod existit est possibile; sed Incarnatio existit; ergo est possibile.* Quæ conclusio est Theologica: quia Maior propositio est demonstrabilis à Metaphysico; Minor verò est probanda ex reuelatione Dei. Item: Existentià Incarnationis est absolutè de fide, quia est immediatè reuelata, & proposita sufficienter ab Ecclesia: at potest à Theologo probari hoc syllogismo: *Ille persona est Deus homo quæ per dolores satisfacere potest ad aequalitatem pro peccato; sed Christus satisfacere potuit per dolores ad aequalitatem pro peccato; ergo Christus est Deus homo.* Maior propo-

tio probari potest & auctoritate Dei, & ratione; Minor autem auctoritate Dei. Vnde patet conclusionem esse Theologicam.

§.20. Incumbit igitur Theologo probare possibilitatem Incarnationis, tum auctoritate Dei, tum argumētis Theologicis adiutis lumine rationis; tum etiam diluendo argumenta infidelium contra hoc mysterium. Quod quidem in integrâ facultate est facile: quia includit plurimos syllogismos, alios à priori, alios à posteriori, per hos possunt monstrari illorum principia: physicus enim corpus mobile probat à posteriori ex motu; motum autem probat à priori ex corpore mobili.

## S E C T I O I V.

### *Vtrum hæc facultas sit scientia? an item speculatiua?*

§.21. **Q**ui dicunt Theologiam esse propriè scientiam, idem dicent de hac illius parte, cuius syllogismi sunt certi; absolutè autem non est scientia, quia hæc vendicat syllogismos non solum certos, sed etiam euidentes: vt ostendi volum. 1. disp. 11. Logicæ §.33. Animaduerto tamen quæstionem esse de nomine: constat enim syllogismos huius facultatis non solum esse veros, sed etiam certos; at non sunt euidentes, vt sunt Theologici: includunt enim præmissam alteram de fide, quæ, vt de fide est, non est clara. Vtrum autem syllogismus certus ac ineuidens sit, aut non sit scientia, non est quæstio de re, sed de nomine: ego cum Philosopho & maiori parte Theologorum scientiam absolutè intelligo syllogismum euidentem, ob quod Theologia non est scientia.

§.22. Hanc facultatem in habitibus præcipuis esse speculatiuam constat aperte. Primum, quia præcipui habitus principiorum in illa sunt speculatiui; vt patet in hoc syllogismo: *Omnis homo est risiuus; Deus est homo; ergo Deus est risiuus.* Maior propositio est speculatiua in Physica: Physicus enim non potest ea dirigi ad efficiendum vt homo sit risiuus. Eadem ratione Minor est speculatiua in fide, quia non potest fidelis efficere vt Deus sit homo. Conclusio autem est omnino speculatiua; quia Theologus non potest efficere vt Deus sit risiuus. Quæ est secunda ratio, & à priori huius sententiæ.

§.23. Nec item negari potest eandem facultatem esse etiam practicam: quia per

cognitionem Theologicam dirigimur ad efficiendum eius obiectum. quod esse munus scientiæ practicæ ostendi volum. 1. disp. 2. Logic. sect. 2. & disp. 11. de Anima à §.18. Nos per cognitionem Theologicam ita moueri, probatur hoc syllogismo: *Deus est adorandus; Christus est Deus; ergo Christus est adorandus.* Maior propositio est practica tam in fide quàm in Philosophia morali: quia illo actu dirigimur ad adorandum Deum; sicut cognitione de faciendis gradibus ad numeros mouemur ad choreas. Conclusio autem nos docet adorationem Christi: ergo Theologia est practica: est igitur simul practica & speculatiua.

§.24. Obijciunt non posse eundem habitum esse simul practicum & speculatiuum: quorum argumenta proposui & dilui disput. 2. Logic. sect. 1. & disp. 11. de Anima sect. 4. Nec opus est eorum repetitione. Animaduerte multorum inconstantiam negantium scientias naturales simul esse practicas & speculatiuas, admittentium tamè id in fide & Theologia: cum tamen argumenta sint omnino eadem. Si enim practicum, & speculatiuum sunt differentiæ oppositæ, sicut animal & irrationale; ergo nulla scientia potest esse simul practica & speculatiua; sicut nullum animal rationale & irrationale. Sunt igitur tres species actuum: alius practicus tantum; alius speculatiuus tantum; alius practicus simul & speculatiuus: sicut tres species viuientium: aliud intellectiuum tantum, aliud sensitiuum tantum, aliud intellectiuum simul & sensitiuum. Ratio à priori, quia vnus actus potest respicere plura

plura obiecta, alia factibilia à cognoscen-  
te, alia verò infactibilia. Nec negari po-  
test in integra facultate esse plures actus  
circa obiecta hæc, qui omnes pertinent  
ad eandem facultatem. Circa idem ob-

iectum non potest idem actus nec habitus  
esse simul practicus & speculatiuus, quia  
non potest simul esse factibile & infacti-  
bile: at circa diuersa quid ni-

S E C T I O V.

*Vtrum hæc facultas sit pars Theologiæ? an verò illi subalternetur?*

§.25. **D**ixi §.4. facultatem agentem  
de Deo Homine esse verè par-  
tem Theologiæ. quod nunc examinan-  
dum. Difficultas est quòd hæc facultas vi-  
detur subalternari Theologiæ: ergo non  
est eius pars, quia scientia subalternata  
non est pars subalternæ, vt Architectura  
non est pars Physicæ, nec Arithmetica  
Metaphysicæ, nec Logica Animasticæ,  
quàm illis subalternata. Ratio à priori,  
quia partis vnus scientiæ habent idem  
obiectum formale identitate vera aut per  
similitudinem: scientia autem subalter-  
nata habet dissimile obiectum à subalter-  
na. Primum antecedens probo, quia scien-  
tia subalternata addit obiecto subalter-  
næ differentiam aliquam accidentariam:  
hanc enim esse propriam subalternatio-  
ne scientiarum, ostendi in prooemio Me-  
taphys. §.201. v.g. Architectura subalter-  
natur Physicæ, quia Physicæ subiectum  
est corpus prædicamenti substantiæ se-  
cundum se: subiectum autem archite-  
cturæ est domus, quæ corpori secundum  
se addit coniunctionem per accidens mul-  
torum corporum. Sed hæc facultas de  
Deo Homine cõtemplatur obiectum ad-  
dens differentiam accidentariam subie-  
cto Theologiæ: ergo hæc facultas non est  
pars Theologiæ, sed illi subalternata. Pro-  
bo Minorem, quia subiectum Theologiæ  
est Deus secundum se: subiectum autem  
huius facultatis est Deus Homo; qui ali-  
quid addit Deo secundum se.

§.26. Dices Primùm, Deum Hominem  
non esse prædicatum accidentale; sed sub-  
stantiale: scientia autem subalternata  
contemplatur in suo obiecto prædicatum  
verè accidentale. Contrà: Quamuis hu-  
manitas non sit accidens physicum diui-  
nitatis; est tamen accidens logicum di-  
stinctum ab illa realiter, additumque illi  
tam realiter, quàm si esset accidens phy-  
sicum: ergo propter eam additionem Theo-  
logia subalternat hæc facultatem de Deo  
Homine. Confirmatur. Logica subalter-  
natur Animasticæ, nec tamè addit aliquid

substantialiter aut accidentaliter distin-  
ctum à parte rei ab obiecto Animasticæ,  
quia logicum artificium sunt ipsi actus se-  
se mutuo connotantes. ergo ad subalter-  
nationem satis est qualibet additio obie-  
cti, siue sit accidens physicum, siue logi-  
cum, siue extrinseca denominatio. Ratio  
à priori: quia subalternatio oritur ex du-  
plici capite. Primò, ex imperfectione sci-  
entiæ subalternantis, quæ ex suo obiecto  
formali solo non potuit attingere prædi-  
catum, quod scientia subalternata con-  
templatur. Oritur Secundò, ex imperfe-  
ctione scientiæ subalternatæ, quæ ad cog-  
noscendum suum obiectum mendicat à  
subalternata principium. At hæc continge-  
re possunt in additione obiecti acciden-  
talis aut substantialis: ergo subalternati-  
oni non obest additio prædicati sub-  
stantialis.

§.27. Dices Secundò, hanc additio-  
nem esse in obiecto materiali; non verò in  
formali: hoc enim est reuelatio Dei, cui  
non accedit humanitas. Contrà Primùm:  
Sola reuelatio non est obiectum formale  
Theologiæ, sed Deus reuelans: Deo au-  
tem reuelanti additur Incarnatio: ergo  
hæc additio est in obiecto formali. Maior  
constat ex vol. 2. disp. 6. §.40. vbi probaui  
naturam diuinam, vt est principium lo-  
quendi: item & suppositum, vt constituit  
loquens *vt quod*, esse obiectum formale  
fidei: ergo obiectum formale non solùm  
est reuelatio, sed etiã Deus reuelans: ergo  
additio est in obiecto formali Theologiæ.

§.28. Contrà Secundò: Subalternati-  
oni satis est additio in obiecto materia-  
li, quia Animasticæ subalternatur Logica,  
vt ostendi in prooem. Metaphys. §.209. &  
ramen additio quam Logica contempla-  
tur in obiecto, versatur immediatè circa  
materiale obiectum Animasticæ: non au-  
tem circa formale, ergo. Probat Minor,  
quia hæc additio versatur immediatè cir-  
ca actus intellectus, mediatè verò circa  
animam: Animastica verò contemplatur  
pro obiecto formali substantiam animæ: